

Johann Bacmeister

Rector Academiae Rostochiensis, Joannes Bacmeisterus, Phil. & Med. D. & Professor. Ad Exequias funebres Quas ... Vir, Dn. Hieronymus Rossius, Civis & Sedecemvir primarius ... coniugi dilectissimae Elisabethae Gerdes/ Hodie ad horam media 2. in templo Mariano paratas cupit Omnes omnium ordinum cives Academicos officiose & amanter invitat

Rostochi[i]: Pedanus, 1629

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777449625>

Druck Freier  Zugang



Bacmeister, J.,
in E. Gerdes,
uxor. H. Ross.

Rostock. 1629.

61

RECTOR
ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS,
JOANNES BACMEISTERUS,
Phil. & Med. D. ac Professor
Ad exequias funebres

Quas
Honoratissimus & Literatissimus Vir,
Dn. HIERONYMUS ROSSIUS,
Civis & Sedccemvir primarius, Xenodochij ad S.
Spiritum præfctus fidelissimus, conju-
gi dilectissimæ

ELISABETHA
GERDES
*Hodie hanc media 2. in templo Mariano para-
tas cupit*

omnium ordinum cives Aca-
demicos officiosè & amanter invitat,



ROSTOCHI
Typis Joachimi Pedani, Acad. Typog.
ANNO CIC 15 CXXIX.

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
JOANNES BACMEISTERUS,
Phil. & Med. Doct. ac Professor.



Umanæ vitæ, quam sit fragilis, æruminosa, miserabilis & deplorata conditio, præter alias, singulis penè momentis, nobis impeditentes calamitates atq; afflictiones, etiam ipsorum morborum, variè in nos debachantium, hostiliterq; vitæ nostræ insidiantium, innumera caterva, insigni ac luculento nobis potest esset testimonio ac documento. Quorum sanè, tanta existit sævitia, ferocia atq; atrocitas ut neq; ordini, sexui aut ætati ulli parcendo, neq; loci aut regionis ullius rationem aliquam habendo, indiscriminatim in obvios, quosvis graffentur, ac tyrannidem suam exerceant. Inter hos Pestifera lues non postremum tenere locum, & aliis palmam quasi præripere videtur. Ipsa enim experientia satis superq; testatur & confirmat, quod crudelitatis diritate, sævitia im-

mani-

1598

manitate, periculi atrocitate, ac malignitatis
perniciitate, brevi temporis spatio, nunc hos
uunc abripit illos. Cumq; Deus opt. max. hoc
suo flagello, nos quoq; hic & alibi in vicinia ju-
sto suo judicio, ob gravissima peccata nostrâ
percutiat, pijs & serijs precibus meritò est invo-
candus, ut pœnam hanc nobis impositam pa-
ternè mitigare & in media ira misericordia suæ
recordari clementer velit. Hujus verò luis
inexorabilis atrocitatis, proh dolor, triste exem-
plum habemus in honoratissimi & doctissimi
viri, Dn. HIERONYMI ROSSI, civis prima-
tij, sedecēviri, & præfecti Xenodochij ad S. Spi-
ritum apud nos meritissimi, amici nostri
honorandi, conjuge carissima ELISABE-
THA Gerdes / matrona honestissima, quam
pestilens contagium nunc passim grassans
malignitate sua, maximo cum mæstissimi ma-
riti luctu & mœrore, insperatò confecit, & è
medio sustulit. Licet verò ptæmaturus hic obi-
tus, viduò relicto, vehementem pariat dolo-
rem, tamen in divino beneplacito ipsi patien-
ter erit acquiesendum, cum cerum sit absque
ipsius voluntate, ne quidem capillum capitis
nostrî decidere, & mortem in quamcunq; tan-
dem ætatis partem cadat, esse maturam & opor-

tunam illis, qui fide Christo inferti, in eodem
beati moriuntur, & felici Catastrophe hanc
suam peregrinationem finiunt. Nata autem
fuit hæc ELISABETHA Anno 1580. die 1. Au-
gusti, primariæ notæ honestissimis parentibus
patre, BRANDANO GERDES / matre URSULA
ab ESFELT, quibus in infantili ætate orbata,
cum vix triennium complevisse, agnatorū suo-
rum proximorum, imprimis vero nobilissimi
ac prudentissimi viri Dn. WILLI CHII PA-
SELICI Senatoris quondam apud nos specta-
tissimi, ejusq; conjugis DILLIANÆ LEVIT-
ZOVIAE, curæ & educationi fuit commissa;
qui non tantum sollicitis morum præceptis, sed
etiam exemplis virtutem omnium sexum fœ-
mineum conderant, eam à teneris unguicu-
lis fidelissimè informarunt. Avum paternum,
habuit virum amplissimum Dn. HENRICUM
GERDES, qui antè centum annos proconsula-
tum hujus urbis magna cum laude gessit; & ho-
spitali ad Spiritum Sanctum utiliter præfuit:
Aviamvero ELISABETHAM ex antiqua &
per celebri SMIEDIORUM prosapia, cuius so-
ror, primarias in hac urbe CLINGIORUM,
SCHVARTZKOPPIORUM & alias produxit
familias, apud nos non postremas. Maternam li-
neam.

neam quod spectat Avum ex præcipua & nobili
ESFELDIORVM stirpe agnovit, virum Sre-
nuum & nobilissimum Dn. SIGISMUNDVM
ab ESFELT, Illustrissimi quondam & Celfissi-
mi Principis ac Domini, Dn. HENRICI PA-
CIFICI, Ducis Megapolitani, beatissimæ re-
cordationis, Consiliarium & cubicularium:
aviam MARGARETHAM Varelt^s / ex nobili
BAROLDIORVM linea Duninchusana pro-
gnatam. Ex hisce & tam præclaris familijs origi-
nem traxit piè defuncta nostra, & ut parentum
& majorum suorum vestigia premeret, eorūq;
virtutes, vera in Deum pietate, modestia, casti-
tate, diligentia in rebus oeconomicis, fidelis li-
berorum institutione, imitaretur, sedulam de-
dit operam. Nubilis facta, ex singulari Dei pro-
videntia, & consilio suorum, quorum fidei com-
missa fuerat, in matrimonium cessit, juveni pa-
tritio & præstantissimo Dn. JOACHIMO
KIRCHOFIO, ex antiquissima in hac civita-
te KIRCHOVIORVM familia postremo, cui
in pacato, concordi & tranquillo sed infœcun-
do, per sexennium cohabitavit conjugio. Illo
verò defuncto, exacto viduitatis anno uno cum
dimidio, disponente ita divino numine, suas
& consilio patrui sui Dn. JOACHIMI Gerdes

A 3

senior

senioris, affinis Dn. JOACHIMI Schütten /
Consulis hujns Reipubl. amplissimi, & cognati
Dn. MATTHÆI Gerdes / J. U. Doctoris eximij
& tum temporis Syndici Wismariensis dignis-
simi, ad secunda transiit vota, & Ornatissimo
ac literatissimo viro juveni, Dn. HIERONYMO
ROSSIO, nunc tristissimo viduo, matrimoniali
sædere iterum fuit consociata; Ann. 1607. die 18.
Jul. promoventibus matrimoniale hoc negotiū
Dn. D. Luca BACMEISTERO parente nostro hono-
rando, Dn. VALENTINO SCHACHTIO Theologis, &
D. ERASMO REUTZIO, Reverendissimi Episcopi
Suerinensis Cancellario, quorum omnium me-
moria est in benedictione; idq; propter singula-
rem quæ inter ipsos & Dn. ROSSI, avunculum
Dn. M. DE THLEVUM MAURITIUM, Præpositum
Chiloniensem per multos annos culta fuerat,
amicitiam. Ex hoc suavi & pacato conjugio, se-
ptem prognati sunt liberi, tres filij quorum duo
antè partum extincti, hanc lucem non aspexe-
runt; filiæ vero quatuor, GERTRUDIS, OTILIA,
ELISABETHA & ANNA. GERTRUDIS non ita pri-
dém 2. Junij strenuo viro, Dn. GERHARDOTOR
Porten vexillifero: OTILIA itidem strenuo &
spectabili Dn. JOANNI CASIMIRO, Frienwaldensi
Marchico, locum tenenti in Caſareano exerci-
tu

tu 30. Martij, anni currentis, elocata sunt. Cum
jā omnia secura esse speraret parens subito & de-
improviso ipsum obruit domestica calamitas.
Dum enim 4. hujus mensis die in publico quo-
dam negotio, Xenodochium ad S. Spiritum con-
cernente cum amplissimi Senatus & civium
deputatis abest, filius HIERONYMUS, quem adhuc
habebat unicū, peste, apoplexia iūcta, corripitur
& ē numero mortaliū abripitur. Conjunx vero
admodum de marito sollicita, ut salvum ipsum
sibi & superstibus filiabus præstaret, multis
precibus ab ipso obtinuit; ne ædes infectas in-
gredetur, sed in locum securum secederet; so-
sedulò daturam operam, ut interea domui &
liberis ita prospiceretur, ne quid desiderare
posset. Ipse quidem locum precibus carissimæ
cōjugis dedit, tūtiori loco se cōmisit ac suos seq;
divinæ protectioni quam diligentissimè com-
mendavit. Sed cum Dei consilia alia sint quam
nostra, divinæ ipsius voluntati ita placuit
ut interea filias duas reliquas ELISABETHAM
& ANNAM, eodem morbi genere succumber-
res 19. Conjugem vero ipsius dilectissimam, 21.
hujus mensis die, multis vigiliis & mœrore de-
fatigatam, cum maritum per alios plurimum
salvere jussisset, ex calamitosa hac & ærumnosa
lachrymarum valle, in cœlestem transferre pa-
triam,

triām, Anno ætatis 49; & quod in primis memo-
rable eodem mense & ijsdem propemodum
diebus, quibus in hac lucem prodierant. Nul-
lum vero dubium est quin tristissimus hic dul-
cissimæ conjugis & trium liberorum obitus, tam
brevi temporis spatio incidens, valde percutiat
mariti & parentis φιλοσοφiam animum; Non pa-
tietur se tamen, qua est singulari prudentia præ-
ditus, de statu mentis deiisci, nec dolori, quo nec
sibi nec piè defunctis, & nullis lachrymis indi-
gis proficiat, herbam porrigit, sed se esse co-
lumnam domus suæ meminerit, qua vel nutan-
te, vel labente, universam ruere necesse sit. Ut
autem hunc luctum eo facilius superet, & ex
omnib[us] nostra aliquid levamenti capiat, omnes
& singulos jnrisdictioni nostræ subjectos Domi-
nos Professores, Doctores, Magistros, Ecclesiæ
ministros, & Studiosos adolescentes, officiosè
& amanter rogamus & hortamur, ut hodiè ho-
ra media 2. in templo Mariano frequentes con-
venire, & ultimū honorem, honestissimæ huic
matronæ exhibere ne graventur. P.P. sub sigillo
Rectoratus 23. Augusti Anno 1629.



GK




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777449625/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777449625/phys_0016)

DFG

tu 30. Martij, anni currentis,
jā omnia secura esse speraret
improvisò ipsum obruit do-
Dum enim 4. hujus mensis d-
dam negotio, Xenodochium a-
cernente cum amplissimi Se-
deputatis abest, filius HIERON-
habebat unicū, peste, apoplex
& è numero mortaliū abripit
admodum de marito sollicita
sibi & superstibus filiabus
precibus ab ipso obtinuit, n-
grederetur, sed in locum secu-
sedulò daturam operam, ut
liberis ita prospiceretur, ne
posset. Ipse quidem locum p-
cōjugis dedit, tūtiori loco se cō-
divinæ protectioni quam dil-
mendavit. Sed cum Dei cons-
nostra divinæ ipsius volunt-
ut interea filias duas reliquas
& ANNAM, eodem morbi ge-
tes 19. Conjugem vero ipsius
hujus mensis die, multis vigi-
fatigatam, cum maritum per-
salvere jussisset, ex calamitosa
lachrymarum valle, in cœlesti-



the scale towards document

nt. Cum
itò & de-
alamitas
ico quo-
um con-
civium.
n adhuc
rripitur
nx vero
n ipsum
multis
ectas in-
eret; sa-
omui &
iderare
rissimæ
uos seq;
è com-
t quam
placuit.
THAM
imben-
iam, 21.
rōre de-
imum.
umnosa
erre pa-
triā,